


EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Qd. 16.



Valentini Guilielmi

Forsteri J. U. Doctoris

DISSERTATIO

APOLOGETICA
PRIMA

Pro

Jure Justiniano.

AEquitatem ipsius defendens

adversus

Vivem, Bodinum, & alios.



S. J. J. J.

VVITEBERGAE

Ex officina Cratoniana

Anno 1598.

Valentin Guilielmi

Forsteri J. H. Doctoris

DISSERTATIO

APOTHEOTICA

DE

PO

Jure Jurisprudentiae

Abputantibus defensio

et

Vivem. D. H. H. H.

**KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALIE**

VITTEBERGAE

Ex officio Censoribus

Anno 1798



REVERENDIS-
SIMO ET ILLUSTRIS-
SIMO Principi, ac Domino, Domi-
no HENRICO IULIO,
Episcopo Halberstadenſium, & Du-
ci Brunſuicenſium & Lunæburgen-
ſium &c. Domino ſuo cle-
mentifſimo.

Ravifſimum eſt imperium
conſuetudinis, & mos ma-
jorum ferè ceu lex valet,
Reverendiſſime & Illu-
triſſime Princeps, ut planè moroſus
& abnormis tui cenſeri poſſem, ſi
peculiaris & novus quaſi, tritis aliorū
non inſiſterem veſtigijs, ac diſſertati-
unculam hanc meam, quam ſuaſione
multorum Eruditorum, certis de cauſis
divulgo, ſine Patrono paterer lucem
conſpicari. Multa autem ac inſolentia
beneficia, parenti, meo Valentino For-

A 2 ſtero

stero Ideo, & in Iulia vestra anteces-
sori ab Celsitudine tua preestita, & sic
in me per identitatem personae deriva-
ta, cogunt ut agnoscam, & pre omnibus
alijs eam Cels. tue inscribam ac subij-
ciam. Neq; vero quem alium invenire
fas esset, cui censura dissertationis hu-
jus de equitate juris Iustiniani sub-
mitti tuto possset, magis idoneum, quam
Principem Germaniae celeberrimum,
cultissimum, undiquaq; literatissimum
juris presertim ac equitatis scientissi-
mum, & in publicis procurandis expe-
rientissimum, prudentissimum. Si qui
sunt (quod tamen non puto nec spero)
qui oblatrent & obblaterent aliud mi-
nutuli, ij frustra sunt, & ab omnibus
sanioribus frustra merito habentur;
neq; de justicie tramite flectere pote-
runt ruminantem, & in memoriam ex
hac sibi revocantem, nulli unquam, ne
quidem

quidem ipsissimo Iustiniano, Reip. ut
ait Leo, studiosissimo, lividos ac invidios
Bodini & aliorum nasutulorum
morsus evitare ac subterfugere licuisse
ac nascendum, ut nostri loquuntur,
adhuc eum, qui satis omnibus sit
effecturus. Nunc nil immoror, sed omni
saltem animi submissione rogo
Celsit. tuam, patrocinium suum studioso
juveni XXIII. annorum non deneget,
& sereno dissertatiunculam hanc
vultu in clientelam suam suscipiat; ma-
joraq; ac meliora cum DEO & die
prestoletur. Valeat optime Celsit. tua
Viteb. die 21. Februarij Anno 98.

T. Celsitud.

Obsequentiss. & addictiss.

Valentinus Guilielmus Forsterus
I. V. Doctor.

A 3

Ascen-



A Scendo Cathedram hanc,
Patres adlecti, conscripti, & tu
nobilissima Commilitonū co-
rona! Ascendi cathedram hanc, non
ut bullatis nugis turgescerem, aut
Claudiana profundè profunderem
tonitrua, neque ut ἀχάλινον ἄμικτον cen-
tones farciendo in morem lixarum
& calorum sesquipedalia verba fun-
derem; sed ut nudè ac simpliciter &
ἀνεὺ τῆς πόμπης dicerem; & loquerer
magis quàm eloquerer; magisquè
differtarem, quàm perorarem. Idquè
ut susciperem provinciæ nequaquàm
Philautia quadam adductus sum,
qua mihi placere ipsi belliuscule.
(Nam meo me pede metior, & scio
quàm deceat & decoret ἀζηλοῦ παλῶ
τῶ) neque quod verba mea fixum
me teneant, aut voce ceu puellæ
blandimentis lepidiusculis, ac illece-
bris oculos, animumquè ac sensum
con-

constringentibus, oblucter & attrahar penitus (sat enim novi, quàm in me Attica non reperiatur Eloquencia, & vocem meam mecum habeo semper domesticam. Neque quod meum mihi pulcrum solum arrideat, & id respiciam, aliorum iudicia despiciam. (Quæ foret hæc vel læticia vel selectio, sine rivali diligere?) Sed suaferunt dominorum præceptorum placita, quibus refragari nefas est! volunt à me statuta facultatis juridicæ, jubet id ipsa Diomedea necessitas. Vereor autem ne perpolititis & eruditissimis Præceptorum auribus, nugis his meis & ineptijs obstrependo molestus sim: & metuzendæ mihi sunt vagæ Commilitonũ ac dissentientes sententiæ! in tantum ut diversus agar, & ita dubius animi fluctuer, ut nec polliceri nec abnuere audeam, in quamvis partem declinem præsens damnum aut exitium videam, adeoq; inter sacrũ & saxum constitutus verè videar.

A 4 Verum

Verùm ut non fluctuer ulterius cogit ingens telum NECESSITAS! suffulcit candidus præceptorum candor, & benevola ipsorum in me voluntia; erigunt subreçtæ commilitonum aures; quibus si pariter ut aliis ex hoc loco ante me dicentibus auscultaverint, satis mihi factum & congratulatum putabo.

Dicam igitur de æquitate juris Justinianei, & dicam brevius, quàm res tanta dici possit; Non enim possunt omnes articuli singillatim hac dissertatiuncula breviori comprehendi: sed ea saltem adducẽtur, quibus manifestis bona occasio erit ad similia procedere, & cætera quæ tendunt ad eundem scopum supplere. Ab initio autem liberè profiteor, diversæ me trahunt curæ, & incertus nuto an in unam, an in alteram inclinem sententiã; propugnemne & defendam Justinianeum jus, an indefensum & desertum relinquam. Annon enim æquitas est universalitas
quæ-

quædam? Quem ergo non terreat
 tanta vis ac licentia in uno homine
 posita, & plerumque gladius datus
 in manum furentis, **PRINCIPEM**
SOLUTUM ESSE LEGIBUS?
 Annon tot sunt leges & quidem ob-
 scuratae, ut & ipsi Icti ægerrimè fe-
 rant leges dici faciles, aut eas quæ
 vulgò possint intelligi? Quæ est er-
 gò æquitas **IGNORANTIA IURIS**
NEMINEM EXCLUSARI;
 & tamen leges esse & tam longas &
 tam difficiles, ut nemo eas tenere o-
 mnes valeat? Quidnã est hoc aliud,
 quàm scribendis legibus non mitem
 quandam ostendere & benignam
 degendæ vitæ rationem, sed insidias
 fructu simplicitati populari?

Annon jure naturæ æquum est,
 neminem cum alterius detrimento
 & injuria fieri locupletiores? Quid
 adducent igitur Icti, quo factam te-
 ctam usucapionem suam cõserveut?
 quas quæso secundum usucapionem
 vindicias decernent? Annon sapien-

A 5 ter

1. ratio
 dubitandi
 quæ utitur
 Vives li. 7
 de causis
 corrupt.
 art. pag.

212. &
 se 1.

2. ratio
 dubitandi
 quæ utitur
 idem vives
 d. lib. 7.

pag. 218.

3. ratio
 dubitandi.

4. ratio
dubitandi
quâ utitur
Bodin. 5.
de Rep. 2.
num. 535.

ter divina lex ab omni hereditatio
parentum ac proximorum jure foeminas longè summovet, quamdiu
mares in familiâ extitissent; quæ lex
ad Græcos translata est; & apud Per
sas quoq; ac Armenios accepta. Su
periores enim futuræ sunt, si æquo
jure partes hereditarias cū masculis
fortiantur; quia cum foeminae ubiq;
mares numero vincant, sive illud fiat
propterea, quod foeminae à bellis &
aliis periculis, quæ viros obire ne
cesse est seducuntur; sive quod in na
turæ Universitate rerum deteriorum
major est affluentia quàm pretiosarum,
necesse est familiarum jura vio
lari, prædia gentilia distrahi. Cur
igitur deflexit & aliorsum divortit
Justinianus vel potius Theodora u
xor, quæ foeminas maribus æquales
aut etiam superiores modis omni
bus tentavit efficere?

5. ratio du
bitandi ex
Bodino li.
1. de Rep.
ca. 3.

Annon optima ratione lex Julia,
cum masculis jure mariti accusandi
facultatem detulisset, non idem foeminas

minis privilegium detulit? An non id genus turpitudinis in foeminis detestabilius quam in masculis, omnium ferè gentium consensu receptum putatumq; semper fuit? Unde & graviores plerumque poenae adulterij, huic sexui praestitutæ. Quis ergò non miretur, quare à Justiniano poena hujus criminis in mulieribus sit mitigata; cum & in hoc sexu eò severior esse debuerit, quo hoc delictum in illo turpius est, atq; frequentius, magèq; perniciosum privatim & publice, propter eam quæ consequitur liberorum incertitudinem, & confusionem familiarum. Cui non appareat liquidò, Theodoram Justiniani Augusti uxorem, quæ fasces Imperii, marito sanè stupido ac illiterato principi ademerat, cū omnia beneficia foeminis ad veros maritos tribueret, eas etiã adulterii poenâ liberasse, infamiae saltem notam reliquisse? Annò προσωποληψίας viciū cū justitia pugnat acerrimè? Certū est. An igitur
æqui-

6. Ratio
dubitandi
Huberti
Giphan.

æquitati naturali consentaneum e-
rit jus ab Impp. constitutum, ut pœ-
næ varient pro personis in eodem
crimine? ut aliter viles & humiles,
aliter & levius honestiores, aliter
item servi quàm liberi, & aliter No-
biles quam ignobiles puniantur?
Olim quidem neque Iudæi, neque
Græci, neque aliæ gentes ut Persæ,
Pæni, ipsique adeò Romani ante
tempora Impp. eo usi videntur.
Platoni certè, Aristoteli, Isocrati id
non probatur & fortasse rectius,
disputat alicubi Giphanius.

7. ratio
dubitandi
ex l. pen.
De Iust. &
jure.

Porro ne longius faciam in o-
mnibus casibus & speciebus recen-
sendis; quidnam, amabo te dic mihi,
æquitati tam è diametro contrarium
adversatur, quàm iniquitas? Et ta-
men Prætor quoq; jus reddere dici-
tur, etiam cum iniquè decernit Icto
Paulo.

8. Ratio
dubitandi
ex l. pro-
spexit. D.

An aliquid à duritie & iniquita-
te magis alienum, quàm illud Ulpia-
ni. Hoc quidem perquàm durum
est,

est, sed ita Lex scripta est. Cui igitur Qui & à
quib man.
non horrorem incutiat, & deterreat
à juris disciplinâ, illud aliquorum
dicterium, quo dictitare solent, Ad-
vocatam quendam è purgatorio li-
beratum amicum accessisse suum, eiq;
id consilii dedisse, oblitteraret duris-
simam illam L. prospexit D. Qui &
à quib. manumissi; nunquam illam
vel legere vel credere in animum in-
duceret. Sese enim propter unicam
istam L. horrendos & crudelissimos
per totum triennium in purgatorio
sustinuisse cruciatus

Eant nunc & gloriantur Icti, ex Donell. in
præfat. an-
te com-
ment.
omnibus quæ unquam ullo in popu-
lo constituta sunt, nullum jus neque
præclarius constitutum esse, quàm
populi Romani; neque diligentius.
Iactitent; Romanam Monarchiam
cæteris potentiolem ac majore le-
gum sapientiâ firmatam & munitam
esse

Commendent Romanos, ut in Forster. in
præfat an-
te histor.
Rom.
aliis artibus ac sciētiis, quæ ad Reip.
con-

VVes. in
orat. de
composit,
jur.

constitutionem, administrationem,
conservationem, amplificationem,
propagationemq; pertinent, cæteris
populos superarunt! sic & in exco-
lendâ æqui boni arte, omnibus gen-
tibus præstitisse. Dicant posthac iu-
risprudentum nomen quasi Roma-
norum proprium fuisse, neque Prag-
maticorum eandem apud Græcos,
quæ Ictorum apud Romanos, vel fa-
cultatem vel dignitatem fuisse. Con-
firmant & buccinent quantum ve-
lint, in tam vario multorum conatu,
& operatione multiplici, nihil dum
extare non solum quod scriptis Iusti-
niani anteferri, sed ne conferri quidẽ
hoc in genere rectè possit. Mihi sanè
dicat aliquis, id tum demum persua-
deri poterit, cum Nibas coccyflave-
rit, id est, nunquam.

Cæterũ speciosa quidẽ hæc sunt
hactenus adducta Nobilis. Domini
commilitones! Si verè vobis dico
quod sentio, vera non sunt. Ius enim
nostrũ Romanũ est ars æqui & boni!

Boni

Boni namq; & æqui noticiam pro-
 fitemur, æquum ab iniquo sepa-
 rantes, licitum ab illicito discer-
 nentes, ait Ulp. Et multò dilucidius
 Paulus. In omnibus quidem, maxi-
 mè tamen in jure æquitas spectanda
 est. Et rursus Impp. Placuit in omni-
 bus rebus præcipuam esse justiciæ
 æquitatisq; quàm stricti juris ratio-
 nem. Ecquid verò vel æquius vel hu-
 manius ab humanissimo Principe
 Justiniano proferri potuisset unquã!
 quàm illud quod ait. **NIHIL NO-**
BIS TAM GRATUM EST,
QVAM HUMANITAS. Forem
 longior, si quævis hic recensere nil
 dicam de legibus, plerarumque sal-
 tem Novellarum principia. Verùm
 utar foro, & ne vestra nimiū abutar
 æquanimitate & benevolentia, plura
 non cumulabo: Sed ad superiorum
 rectâ refutationem accedã. Ridebitis
 forsan, mei Domini Commilitones,
 malè commissū par gladiatorū; illinc
 terribilium & magnorū virorū! hinc
 studiosi

in l. 1. De
just. & ju-
re.

l. 90. De
R. j.

l. 8. C.
de judic.

l. 57. C. de
Episcop.
& Cleric.

studiosi timidi, minimeq; pugnacis :
& verendum est, ne cui hic videatur
Troili cum Achille congressus; &
ne hujus pugnae tabulam pictores
venditent, cum hoc illius Poetae.

Parte alia fugiens amissis Troilus armis

Infelix puer, atq; impar congressus Achilli,

Fertur equis, curruq; haeret resupinus inani!

Lora tenens tamē! huic cervixq; comaq; trahuntur
Per terram, & versa pulvis inscribitur hastā.

Sed scietis iterum, interdum minaces
magnorum Gigantum superbos-
que spiritus frangi puerili funda.
Ego sanè certò mihi persuasum ha-
beo, & Vivem & Bodinum in hac
palæstra Antagonistas meos cum
Augustino, vel à puero crudiri non
abnuere. Et ut à Vive faciamus ini-
tium, quidnam est, quod illum tan-
toperè cruciet? Scilicet id ipsum

1. 31. De
legib.

De mordet ac urit acrius, id averruncan-
dum est **PRINCIPEM SOLUTUM**
ESSE LEGIBUS. Qui sic mi Vives?
Quoniam aequitas est universalitas
quædam. Cantherius hic in portâ
lassus mihi judicaris mi Ludovice, si
per

per universalitatem æqualitatem in-
telligis. Nam sæpe non servatur æ-
qualitas, ut æquitas conservetur;
memini me legere in Sebastiano
Derrero Icto: Cujus ne tu, quod
Ictus sit, authoritatem respuas,
audi quæso quid Philologus di-
cat Plinius. Non semper æquale
jus per omnia constituendum, alio-
qui æquitate ejusmodi nihil inæqua-
lius esset. Destructo igitur funda-
mento, necessum est, ut quicquid su-
perstructum fuerit, collabatur. Quid-
nam autem illud est? Id nim. Prin-
cipem solum esse legibus. Non di-
co Principem solum esse legibus
pœnariis; quod historiæ satis refu-
tant: Neque fingo Principem solu-
tum esse. Nam id Icto repugnat. Di-
co principem solum esse legibus!
Non saltem Caducariis ut cum Cu-
jacio volunt aliqui. Quod enim hoc
foret privilegium, principi mecum,
tecum & cum omnibus alijs com-
mune! cum Caduca planè sint sub-
B lata.

lata. Dico Principem solutum esse legibus omnibus! Non quidem naturalibus! Nā cum ijs non cōfertur ut princeps, sed ut animal! non jurisg. ad quas cōsideratur ut homo! sed ijs omnibus quarū respectu & relatione princeps est, id est, merè politicis, merè civilibus! quæ ut rectè Donellus docuit potissimum & aliqua plurima ex parte in solemnitatibus cōspiciuntur. His Principem solutum esse, optima mi Ludovice suasit ratio! quod Princeps omnium imperio exemptus est! nullius potestate regi potest: idq; secundum naturalem æquitatem; quæ vult ut inter stupidos ac sapientes quædam fiat discretio! quæ vult ut alij imperent, alij serviant. Videas ergo Ludovice, ne quid summæ potestati deroges, dum illam legibus obligatam contendis. Vide ne sub ipsis manib. summa tibi potestas evanescat! quando ipsam legibus his nō solvis. Vide ne firmissima concutias civitatis ac politia fundamenta, amicitiam, inquā,
ac

ac benevolentia, quæ inter pares vix
diu subsistere potest. Atqui, inquis,
quem non terreat tanta vis ac licen-
tia in uno homine posita? Quanta, mi
Ludovice, quæ in manibus juris ci-
vilis concluditur! quæ sepem non
egreditur! quæ à jure naturali & gen-
tium nihil abhorret! quæ ab hone-
statis norma non abscedit! Sed in-
quies ulterius. Hoc modo plerunque
datur gladius in manum furentis, &
principes sua majestate ac potestate
abutuntur. Respondeo, mi Ludovi-
ce, Nemo præsumitur malus. Præsu-
mitur quilibet bonus. Et ista est præ-
sumptio naturæ, quia naturaliter
quilibet est bonus, ut DD. loquuntur
nostri. Tum sophistarum est ex accidē-
tib. arguere, & ut cū Beza VVesemb.
statuit. Nulla res est in tota rerum na-
tura, cujus, si velis ab accidentibus
argumentari, nō aliqui dari possint
abusus. Convenit hic potius oculis
proponere nostris illud Augustini!
In omnibus rebus, non ex earum

Alc. reg. 3.
præf. 2.

B 2 rerum

cap. 1. dist.
41.

rerum natura quibus utimur, sed ex
caussa utendi & modo (i. e. tempe-
ramento; nam immodica in vicio
hærent.) probandum est vel impro-
bandum quod facimus. In o-
mnibus enim talibus non usus re-
rum, sed libido utentis in culpa est.
Habear igitur tuis licet, quantum
libet, Pericles, qui cum ab adverfa-
rio victus atque prostratus erat! ta-
men declamando aliis persuadebat,
se vicisse, adversariumq; jacere pro-
stratum! mihi certè ex meâ parte
pugnare videtur, non oratio sed ve-
ritas; quæ multis verbis non indi-
get.

J. 11. §. 1.
de his qui
1. 01. in fa.

Sed aliò nunc spicula dirigis, vi-
deo, & eò collimas, ut totum ex aliâ
parte quasi prosternas, conculces.
Quæ est æquitas, I G N O R A N-
TIA IURIS NEMINEM EX-
CUSARI? & tamen leges esse & tam
longas, & tam difficiles, ut nemo eas
tenere omnes valeat? Sic aliquoti-
es ad ravim usque clamitas. Strata-
gema-

gemate me circumvenis Ludovice & machinatione bellica: dum simplicitati populari dulce canis: dum suavi rusticitatem cibo deceptā viscas; dum eam ad te allicis, pertrahis. Itaque in *terrore* *opis* *perduco* me constituis, & Dionisianum è seta equina cervicibus quasi ex alto lacunari appendis gladium, dum factionem facis, & metum incutis, ne forsan irritata, quæ placari nequit rustica plebs, baxeis os mihi batuat, aut sandaliis committiget caput. Veruntamen auram tu captes popularem quousque placuerit: & irrideat licet si quis velit: apud me certè plus valet veritatis ratio, quàm vulgi opinio. Quid enim abs te audio? Annon absurdū est, melioris conditionis esse stultos, quam peritos? Utique si Venulejo credimus, si Paulo fidem habemus. Iam subsumo. Stulti dicuntur omnes in rerum administratione, quicunq; resupina aliqua existimatione sunt, & maximè qui in jure errantes, quid

l. 4. D.

Quod vi

aut clam

l. 9. §. ult.

De jur. &

facti igno.

B 3 faci-

g. comm.
c. ult.

l. 9. C. de
ll. l. non
C. de jur.
& facti
ignor.

l. in bono-
rum D. de
bon. pos-
sels. l. 2. §.
ult. D.

Quis ordo
in possels.
fer. d.

l. 9. §. 3.
De jur. &
facti igno.

faciunt, nec curant, quale id sit cogno-
scere. Quare si periti, dum contra jus
quid faciunt incidunt in poenam le-
gis! & imperitos ac neglectores juris
dū idē faciunt, non meliore cōditio-
ne esse, sed pariter in legem incidere
æquum est! ut id pro Paulo disputat
Antesignanus meus HUGO DO-
NELLUS. Quænam autem est, in-
quies, miselli rustici vel levissima
culpa, propter quam in poenam le-
gis incidat? Ea videlicet, quoniam
leges intelligi ab omnibus debent;
ut Impp. dicunt, & alibi cōstituunt!
Constitutiones principum nec igno-
rare quempiam, nec dissimulare fas
est! tum, quoniā cōsulere debuisset,
qui jus ipse non didicit peritiores!
quod si non facit de se queri debet.
Atqui fortè nec lcti copiam habuit?
Ah miser, quid te torques, ais tu no-
stto Accursio! quod itidem ad te ut
loquar permittes. Si non summa
prætares eruditione præstantissime

vir

vit; dicerem tibi NE SUTOR
ULTRA CREPIDAM: Ita verū est
quod alibi Plinius refert his verbis!
Ut de pictore, sculptore, fictore, nisi
artifex judicare, ita nisi sapiens non
potest perspicere sapientem. Addo
ego. Nisi Ictus Ictum. Inspexisses jura
nostra limatulo & polito tuo iudicio
penitius, repperisses inibi! Non cui-
quam fraudi esse debere, quod jus
(sc. civile. nam de jureg. aliud est)
ignoravit, si ei imputari nihil potest,
cur nō cognoverit aut per se, aut per
alios! Invenisses etiam, ignorantia
juris in compendijs nemini prodes-
se; sed nec foeminis, nec rusticis, nec
alijs quibusdam in damnis obesse.
Quibus omnibus quidnam æquius
constitui debuisset, indagare, & odo-
rari nondum potui. Id quoq; nescio
num satis cum veritate congruat!
quod leges infinitas & incōprehen-
sibiles ais. Casus quidem & articuli
singillatim legibus comprehendi nō
possunt, ut Julianus loquitur! Jus

Vide o-
mnino Do-
nellum la-
rius hæc
deducen-
tem in d.
C. ult.

l. 12. De
legib.

B 4 tamen

l. 2. De
jur. & fa-
cti ignor.

tamen nostrum finitum esse & de-
bet & potest, dicitur à Neratio. Hæc
ad Vivem pro hac vice. Lassus &
fessus ex hac pugnâ, ut paululum an-
te respirem, quàm ad Bodinum tran-
situm faciam, vos auditores mihi
copiam faciatis rogo. Adducam au-
tem interim leviculū illud & exami-
nabo! quod vulgò de Usucapione

l. 206. De
R. 1.

lib. 1. De
R. 1.

t. t. De Se-
natus C.
Macedon.

l. 1. D. h. t.
l. ult. in pr.
D. pro suo
Cic. pro
Cecinna.

objicitur. Iure naturæ æquum est,
neminem cum alterius detrimento
fieri locupletiolem. Responderi de-
bet, Nisi suadeat aliud utilitas publi-
ca. Non enim ex regula jus sumatur,
sed ex jure quod est regula fiat. Unde
& regulæ suas plerunque patiuntur
exceptiones. Sic enim & filiusfam.
Vi Scti Macedoniani locupletatur
cum detrimento creditoris. Atqui
specialitatis seu exceptionis ratio in
Usucapione manifesto concernitur;
ne vid. quarundam rerum dominia
diu aut ferè semper essent incerta;
sitque litium & sollicitudinis finis.
Si subsumitur. Atque in Usucapio-
ne,

ne cum alterius detrimento & inju-
ria quis locupletatur: Negandum est
totum axioma. Non enim sentit da-
mnum, quod quis ex culpa sua sentit l. 203. De
R. 1.
ait Pompon. & : Nemo damnum fa-
cit, nisi qui id fecit, quod facere jus
non habet, ait Paul. l. 28. De
u. S. l. 151. De R. 1.
Et non videtur vim facere qui jure
suo utitur, ait idem Paul. l. 155. De
R. 1. Hinc Usucapio alienationis ver-
bo venit. Vix est enim ut non videat-
ur alienare, qui patitur usucapi ait
rursum Paul.

Nunc cum Bodino congregien-
dum est. Accingite vos ô foeminae ad
praelium; colis vestris ad bellum hoc
non parcite, licet aliàs imbellibus!
& fusos, & spondylos, & qualos qua-
les quales habetis nunc jacite, pro a-
ris & focis vestris mecum pugnate.
Sed remittite de furore vestro, non
Marte sed arte pugnandum hîc e-
rit. Ego litem vestrâ meam faciam!
cōtestabor. Volo Bodinus juramen-
tū calumniæ præstet, id exigo; post-

B 5 hac

hac id non poterit remitti. Adducat
licet advocatos & Patronos etiã ex
Ictis nostris aliquos, Petr. Gregor.
Stephanũ Forcatulum. Anto. Fabr.
& alios qui Iustinianum effœmina-
tum, plus æquo uxorium, & nescio
quibus aliis titulis insigniant; qui
cum ipso in Iustiniano reprehē-
dant, quod fœmineo sexui plus equo
faverit, & ei semper consultũ volue-
rit: Omnes tamen & ij mihi suspecti
habentur, itemq; ab ipsis est quod
expetam. Nam si verum auguror ex
affectione mihi videntur quicquid
dicunt, dicere. Forfan enim à virgi-
nibus repulsam passi, postmodum in
totum sexum fœmineum odio fla-
grârunt inextinguibili, quod non e-
rat faciendum. Age verò mi bone
Bodine, quid est illud, quod hic no-
bis obtrudis? Scilicet Legem Maxi-
mum vicium. C. de liber præter. fer-
re non potes; illam ut suspectam fa-
cias & removeas, in id eniteris. Qui-
bus autem mi Bodine rationibus?
mul-

multris: tum quod Iustiniani non sit,
sed magis Theodora: tum quod cū
dispositione juris Mosaici non con-
fentiat, tum quod familiarū jura
violentur, prædia gentilia distra-
hantur. Multum hic dicis Bodine, &
facilè ut in tuam sententiam procli-
vior quis fiat, persuadere possis. Pri-
mam enim Electram illam quis effu-
giat cito, quando auctoritatem legis
imminuis à causâ efficiente. Si
namq; supra jurisdictionem jus di-
centi impunè nō paretur, multò cer-
tè minus pareri necesse erit, pro jure
quid jubentī aut vetanti, ubi res ad
omnes pertinēs multò majorem po-
testatem & auctoritatem desiderat.
Donellus. Quisnam autem adeò sto-
lidus & stupidus imperium Theodo-
ræ in subditos concesserit? Sed mi
Bodine, istum tuum argumentandi
modū censeo *ψευδοῦς*, & audacter
magis quā verè hæc à te produci pla-
nè credo. Ideoq; velim probes quod
profers, istam l. à Theodora latā esse.

Præ-

Præsumtio certè contra te militat;
l. ult. circ. cum non præsumatur Iustinianus sui
finē C. de oblitus, cum alibi dicat, tam condi-
legib. torem quàm iuterpretem legum, so-
lum Imp. justè existimari.

Id ponere possem, quamvis non simpliciter concedam, suasisse Iustiniano Theodoram hujus legis promulgationem, sed id jussum Imperatorium nihil subvertit. Quin tu quid de anima illius l. ac ratione censes? quid ad hæc verba respondes? Qui enim tales differentias inducunt, quasi naturæ accusatores existunt, cur non totos masculos generavit, ut unde generentur non fiant. Quomodo istis satisfieri posse credis? At, inquires, Lex divina ab omni hereditario jure fœminas longè summovit, quamdiu mares in familia extitissent, idque jus etiam alię gentes observârunt. Quid audio, Bodine? Forsan illam Cerinthi, Hebionis & Nazaræorum sectaberis hæresin, qui docebant, nullam legis partem

partem per adventum Christi esse
abrogatam! ideo Christianum non
posse subesse Ethnico & Rom. ma-
gistratui. Sed absit error iste à nobis.
Nonne enim viri jubentur ducere num. 36.
uxores de tribu & cognatione sua,
& cunctæ fœminæ de eadem tribu
maritos accipere, ut hereditas per-
maneat in familijs, nec sibi miscean-
tur tribus, sed ita maneant, ut à do-
mino separatæ sunt. Et tamen ab illo
jure jam recessum est. Annon sa-
tis in lege Mosaica constitutum est,
ut quilibet fidejussor, siue sexus dif-
ferentia, suæ promissioni stet, ut satis
fiat. Et tamen jure civili mulier, pro
alio fidejubens, beneficio Scti Vel-
lejani tuta est, si pro marito interces-
serit, penitus non erit obligata: idq;
non solū in foro fori, sed etiā in foro
poli seu conscientia procedit, ut ple-
rique rectius statuunt. Distinguen-
dum igitur est, inter legem mora-
lem, & politicam seu forenses. Po-
litica enim lex exemplar quidem est.
con-

condendarum Legum honestarum
in quacunq; Republica ; non verò
impedit vel prohibet aliquid pro re
natâ in aliã atque aliam faciem mu-
tare ! imò potius permittit & jubet :
eoque rectius dicitur, Politicam Le-
gem etiã ex morali promanantem ,
unã cum Politia Mosaica abrogatã
esse ! quod post scholasticos Thom.
Aquinatem & Bonaventuram, ac pa-
tres Hieronymum, Augustinũ, Am-
bros. Tertull. docuerunt Calvinus &
Petrus Martyr, quos ex Ictis nostris
secuti sunt, Imola, Aretin. Laudens.
Decius, Panormitan. Zas. Tyraquel-
lus & alij. Quãdo quidem igitur cau-
sas allegat graves Imp. cur id jus in-
troduxerit ; & ejus jussus ad obædi-
entiam obliget ; non debebas tu de-
cipulis ineptis conscientias irretitas
tenere. Aut doceas, mi Bodine, leges
forenses latas esse , non illi soli Reip.
sed universo orbi terrarum ; omni-
busq; ac singulis Monarchijs, Recla-
mabit

mabit tibi Apostolus, qui sic jure & civitate Romana sine prævaricatione usus non fuisset! ut id lōgius persequitur alicubi Dominus affinis & fautor meus Iohan. Goeddæus.

intra. de
contrah.
stip. c. 7.
concl. 16.

Atqui instas; sic familiarum jura violantur, prædia gentilia distrahuntur, & foeminae superiores sunt futurae, cum ubique mares numero vincant. Quid tum postea, mi Rodine, jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt, & non eo usq; valiturum est sui momento jus familiae ac gentilium, ut jura naturæ caritatemq; sanguinis vincat; & ut ab hereditate paterna, quæ naturaliter liberis debetur, filias excludat. Nam ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod & in jure civili, suorum heredum nomen eis indictum est,
ac

ac ne iudicio quidem parentis, nisi
meritis de causis summoventi ab ea
in l. 7. De successione possunt ait Paul. Et non
bon. damn. sic parentibus liberorum, ut liberis
parentum debetur hereditas. Paren-
tes ad bona liberorum ratio misera-
tionis admittit, liberos naturæ simul
& parentū commune votum, Papin.
adeoque parentibus non debetur fi-
liorum hereditas propter votum pa-
rentum & naturalem erga filios cha-
ritatē; licet turbato mortalitatis or-
dine nō minus parentibus quā liberis
piè relinqui debeat iterat Papinian.
Ut rectè statuatur alij hereditatem li-
beris debitam imminui quidem, tol-
li tamen nullo statuto posse. An
autem tu fratrum liberos in heredi-
tatem patrum, propter disparitatem,
non in capita, sed in stirpes, contra
Constitutionem Cæcolinam admit-
tes? Dabo interim tibi (quamvis nō
certò ausim affirmare, cum non o-
mnes numerarim) fœminas nume-
ro masculis superiores esse. Illa cerè
ratio

l. 7 D. si
tab. test.
nullæ ex
tab.

in l. 15. D.
d. in off.
testam.

ratio quam adducis, qua ideo id fieri
autumas, quod in naturæ universita-
te rerum deteriorū major est afflu-
entia quàm preciosarum, mihi per-
quàm videtur ridicula. & non mul-
tum ab illa glossæ abhorrens; citius
pubescere foeminas; quod mala her-
ba citò crescat: quæ jamdudum ex-
plofa est. Quando comparativè lo-
queris, nō videris mihi cum Cujacio
sentire, qui mulierem hominem ef-
se, perquàm absurdissimè negat. In
eoq; rectè ab ipso recedis. Videris
tamen cum Ludovico Vive & alijs
Philosophis ac Ictis statuere foe-
minam animal occasionatum,
imperfectum, mutilum. Cur ita?
forfan quia frigidior sit, & ex in-
opia videatur nata; cum semper ap-
petat perfici; perfectio autem sit à ca-
lore, ut adeò crasse ac supinè locu-
tus est Vives. Sed respondebit Scali-
ger subtilis. & exercitatis. id neuti-
quam concedi posse. Non enim ne-
gaveris aliquam foeminam aliquo
viro calidiorē. Non igitur or-

C

tus

tus illius caussa vera est. Si perfectio-
nes sunt à calore, ut sunt, & non mas
essent ipse, dicerem fermè, foeminas
esse perfectiores; quod calidiores.
Annon enim defectiones à frigore
sunt, additamenta à calore? Mam-
mæ igitur & matrix, quæ in foeminâ
sunt in mari non sunt, nonne vim
additam caloris, qui informatricis
instrumentum est, non inopiam o-
stendunt? Profectò matrix nobilissi-
ma ac propemodum divina Favilla
est, in qua Naturæ thesauri conditi,
ubi fuerit opus depromantur, ut
quæ jure optimo merita sit, ut alte-
rum animal appelletur. Denique si
non nisi ex matculo & foemella du-
cunt ortus suos animâtes perfectio-
res, utrumque æquè necessarium fu-
it in naturâ suâ, alterum quidem
propter alterum, foemina ut implea-
tur, mas ut depleatur; utrumq; pro-
pter specierum perpetuationem ait
Scaliger. Vides ergò Bodine, multa
te temerè & imprudenter effuti-
visse. E quorum numero & illud est,
quod

Exercit.
L31. ca. 4.

quod de poena adulterij proponis. Ubi quando eadem quæ superius de Theodora inculcas, ego ταυτόλεγ, non ero; sed quæ ante dixi huc repetita volo. Alioqui breviter habebis Imp. Justinianum sexus fragilitatem respexisse; propter quam mitius plerunque mulieres quàm viri puniuntur! Et aliàs præsens causa facit, in filijs & filiabus non idem jus custodiri: cum poena læsæ majestatis ad filios extendatur, non ad filias, quoniam nõ eodem modo per filias, quæ per filios nomen & memoria patris damnati conservatur. Non etiam tam factum & subiectum delictorum considerant Icti nostri, quàm affectum & voluntatem delinquendi, ut rectè proditum sit, pari sorte leges scelus punire, & sceleris voluntatem l. l. C. Th. ad l. Iul. de ambitu. Cuiac. l. 5. obs. 25. Hinc enim est quod furem capitaliter puniunt. Quæ aliàs esset inter inter feram & hominem, inter furem & quinque solidos proportio.

l. Sacrilegij D. ad L. Iul. pecul. Pachin. l. contr. l. t. Goed. ad l. l. n. 59. De V. S.

V. Con. ord. art. 157. & seq.

Iam verò multò major affectus, & voluntas peccandi proclivior in masculis. Cum hi plerunque sponte & ultro sese crimine illo polluant & & cõtaminent! foeminae verò ut plurimũ precibus, vel laudibus, vel donis vel alijs machinationibus subtilioribus ad Venerem alliciantur. Et facilius temperatio Iustiniani potest excusari, quoniã si ulla alia hæc certè legis Iuliae pœna semper fuit arbitraria, & sæpissimè variavit: & quoiã licet Alexandri tempore etiam ante Constantinum plecteretur capite, ex ipsa tamen L. Iulia non legitur sanguinis habuisse pœnam adulterium, quamvis de deportatione nodus sit obscurior. Esto; de quo non multũ adversabor, adulterium etiam in foeminis capitaliter puniendum est. Nõ debebas tamen Opt. illũ Principem & de Rep. præclarissimè meritum, tam contumeliosis proscindere convicijs! non debebas illum stupidum nominare; non debebas illum illiteratum nuncupare. Hominem certè poli-

Cujac. 6.
 obs. 11. &
 20. obs.
 18. & 19.
 & lib. 19.
 obs. 39.
 Goed de
 cõtra.
 stip. c. 6.
 concl. 12.

& in te & uo-ri- Et est te a= m te ex n- n, sit tū e- ō m l, l- n i- tē i-
politicū id de decebat & dedecorat.
Sed iste est mos tuus, & maximos in-
sultas plerosq; adeò ut nec eminenti-
ssimo Papiniano perperceris. Quā-
tò cōvenientius & rectius Imp. Leo
nō dedignatur honorem Iustiniano
nostro debitum vel in exordium
suarum Novellarum collocare, & ab
ejus laude suas leges inchoare? quā-
tò magis ipsi non multum abætaneo
credimus, quando celeberrimi inter
Imperatores nominis Iustinianum
prædicat; quādo animo erga Remp.
& optimo & ejus studiosissimo ip-
sum enunciat. Hanc Imp. Leonis il-
lustrationem ipsa facta cōtestantur!
& acta fatis cōfirmant ac testifican-
tur. Expetebam hisce diebus Cla-
rissimi cujusdā mei fautoris de hoc
tuo contrā Iustinianum iudicio, ju-
diciū. Is *ἄντιξέδιστος* quidem sed val-
dè tamen eruditè mihi rescribe-
bat! cuius verba cum putem non
displicitura nec tibi nec auditorio,
& censeā illa meam hāc dissertatio-
nem non parum ornare, en tibi sub-

lib. 3. de
Repub.
cap. 4.

Nov. Le-
on. 1.

C 3 jiciam

ijciam & pòst te missum plane faci-
am. Inter cœnandum (sic refere-
bat) vel maximè insolita coryza
compressus, hæc deproperavi & re-
cogitavi, quod Suidas Iustinianum
nostrum faciat ἀναλφάβητον; At so-
lus Suidas; Suidas nempe qui in
clarissimis haud rarò errat; qui tem-
poribus fuit abductior, nec tamen
in eam rem σύγχρονον allegat histo-
ricum; Nonne huic dicetur: testi
incredibilia deponenti non credi-
tur, esse incredibilia benè deducit
Ferronus lib. 2. ad consuet. Burdi-
galeas. tit. 12. §. 3. Balduin. in
proem. inst. §. cumque hoc ver. &
legimus num. 9. Baverrus in meth.
doc. §. 2. Atqui largiamur esse cre-
dibilia, quantum interest; privati
tutelam vix literæ, sed negociorum
experientia facit idoneam l. 6. §.
fin. ff. de excus. tut. in publicis num
quid satis est, esse negociorum ex-
perientissimum, qualem Iustinia-
num loquuntur historiae, in præsen-
tibus

tibus magnanimum, & justum, in
futuris providum, & sollicitum, in
præteritis assiduum, & cogitantem;
ostendunt hoc *ἄριστα βελέματα*, atq;
felicitatem exitus attestantur. Quid?
ipse Bodinus in Nerone, alijsq; prin-
cipib. reprobata subacta literis inge-
nia; & quæ modestia est; nō semel,
sen semper, & ubiq; ostendit se Tri-
boniano monitore veterū prudētū
percepisse judicia, nō se legisse, nō
annotasse, nō disputasse; Etiā illi
accedit, Momū facilius aliena repro-
hendere, quam imitari; Quæ
ria est, ut is, verbi. O. Frisingensis
5. Chron. cap. 4. qui imperium Ro-
manum, quasi mortuum resuscitavit,
rempub. labefactatam plu-
rimūm reparavit, deastimetur à
vulgo; Id scilicet vulgus curat; juxta
gl. Saxonici juris. Qui struit in cal-
le multos habet ille magistros. Hæc
tibi Bodine. Nunc ad alia. Annon
περὶ σωπολησίας viciū cum justitia pu-
gnat acerrimè? Non igitur æquita-
ti naturali cōveniet, ut poenæ variēt

personis in eodem crimine; sic ob-
ijciebatur ab Huberto Giphanio
sexto loco. Satisfieri verò potest hu-
ic objectioni si dicamus, *περὸς ὅλην*
ἀνθρώπων pugnare cum justitia, sed nō
cum omni, cum commutativa pu-
gnare, non pugnare cum distributi-
va. Posito autē *περὸς ὅλην ἀνθρώπων*, si eā
pro vicio sumis, justitiæ etiā distri-
butivæ & Geometricæ Analogiæ ac
distributioni adversari; ne sic tamen
disparitas pœnarum in eodem de-
lictō contrariabitur æquitati natu-
rali. Prosopolepsia enim est cum æ-
qualibus inæqualia & inæqualibus
æqualia dātur, respectu circumstan-
tiæ alicujus, attingentis quidem per-
sonam; sed ad rem seu causam ipsam
non facientis, ut cum — Dat veniā
corvis vexat censura columbas! ad-
eoq; in prosopolepsiā consideratur
circumstantia personæ, præter & ex-
tra principem causam. Non fuit igi-
tur prosopoleptes paterfam. de quo
præterita die concionatum est; qui
mercedem denarij singulis tribuit
opc-

operarijs, quamvis inæquali tempo-
ris spatio laborassent. Spectatur e-
nim illinc inita cōventio & promif-
sio, spectatur patrisfam. gratia ac mi-
sericordia. Solvo inquit paterfam.
tibi promissum denarium. Ergo nō
facio tibi injuriā. Atqui & in nostro
casu disparitas poenæ non ex nuda ac
simplici personarū diversitate pro-
ficiscitur, sed ex alia principe ac su-
periore caussa. nim. ex præsumptio-
ne; quæ meliorum honestorum, de-
teriorum verò levium ac humilium
facit conditionem. Suadet enim
præsumptio ut credamus honestio-
res vel iracundia vel lasciviâ vel e-
brietate, vel alio quo, casu magis,
quàm propensione voluntatis & de-
stinato animo, propulso fuisse ad
pudicitia: fines transgrediendum.
Suadet etiam magis pro honestiori-
bus quàm pro levioribus poeniten-
tiam & correctionem; cum plerun-
que quò honestior quis sit, eò præsu-
matur etiam generosior. Cum enim
personarum ingenia, voluntates, di-
gnita-

VVesenb.
in parat.
de just. &
jure n. 8.

l. 15. De
pœnis.

Vult de
caussis ju-
ra constit.
pag. 16.

l. 18. De
R. 1.

gnitates, status, consilia, dicta atque
facta inæqualia sint; ijs æqualia nu-
mero tribui non poterunt! ut rectè
dictum sit. Duo cum faciunt idem
non est idem. Hac ratione gravius
in eodem delicti genere punitur ser-
vus, quàm liber, famosus quàm inte-
græ famæ reus, plebejus quàm egre-
gius, adultus quàm minor. Sic & in
eum acerbius animadvertitur, qui
sæpè commisit eadem, quàm qui se-
mel; tantum! qui consulto deliquit,
quàm qui ignorâter, aut per lasci-
viam, aut ebrietatem. Hinc rectè
Claudius Saturninus monet, ut ju-
dex in delictis cōsideret hos modos,
causam, personam, locum, tempus,
qualitatem, quantitatem & eventū.
His enim circūstantijs ita cōsideratis
eveniet, ut facta, quæ non attentis,
eadem esse videbantur, mox appa-
reant diversissima, ac proinde vel le-
vius vel gravius plectantur. Ut
benè pronunciarit Paul. Ferè in o-
mnibus pœnalibus judicijs, & æta-
ti &

ti & imprudētia succurri. Ut ad rem
docuerint DD. ob excellentiam eru-
ditionis, posse servari eum, qui a-
liās morte mulctandus esset. Nam
si publica utilitas facit. ut tolli pos-
sit è medio, qui lædit! cur non æ-
què, imò cur non multò magis faci-
at ut servetur is, qui Reip. potest
prodesse. Undè rectè rursus Mode-
stin. Præsidem qui alias regulariter
ad bestias damnatos favore populi
dimittere non debet, in eo casu si e-
jus roboris vel artificij sint, ut di-
gnè populo Rom. exhibeantur, Prin-
cipem consulere jubet. Ex quo textu
refert Dynus, se mortis veniam im-
petrasse cuidam fabro, ob artis suæ
peritiam, cui alioqui manus ex sta-
tuto erat amputanda. benè quidem;
In eo tamen falsus, quod manus am-
putationem sanguinis poenam sta-
tuerit, de quo hic locus dicendi
non patet. Quin imò damna-
tum, virgini nuptias ejus postulan-
ti, Scto Parisiensi concessum
fuisse

l. 21. De
pœn.

Vide Go-
ede. . 6.
concl. 12.

Frid. Ti-
leman.

fuisse & sic poenam mortis evasisse, refert Papo; quod tamen ego non ausim affirmare, secundum dispositionem juris factum. Quapropter ex his concludo, præclarè dictum à Platone, tum demum beatas fore Ecclesias & Respub. si ad Geometricam distributivæ justiciæ analogiam constituentur.

Residui sunt adhuc durissimi nodi quâdo leges dicunt Prætor etiã cū iniquè decernit jus reddere dicitur l. 11. De just. & jure. & alibi quod quidē per quam durū est; Sed ita lex scripta est l. 12. §. 1. Qui & à quib. man. Primū quod attinet is facilior est & in ipsa l. satis diluitur. Fit enim relatione habita nō ad id quod Prætor ita fecit, sed ad illud quod Prætozem facere convenit. Neque verò id iniquū cuiquam videri potest, consideranti, ita pronunciatum esse, ut autoritas Prætori magis constaret! & iniquitatem privatam quæ istic recensetur, in æquitatem ac utilitatem populi publicam redun

dundare, & sic meritò legem inferiore
cedere superiori; quod jam apud omnes
expeditum est.

Sed de lege prospexit major est
dubietas, & videas concertatim se
DD. in ea cruciare. Jacobus de Ar-
ena dixit l. carere Spiritu & ratione;
glossa alicubi de ea dicit; Non suffi-
cit ita scriptum. Alibi refert gl. Io-
annem de ea dixisse SOLVAT A-
POLLO; & alij aliter intricant.

Quaestio autem legis illius hæc est.
Mulier manumittere vel distrahere
servos suos intra sexaginta dies illos
intra quos maritus jure mariti accu-

l. 3. l. 6. C.
ad l. Iul.
de adult.

sare potest, prohibetur, idq; ideo ne
fiat in fraudem evitandæ torturæ,
cui servi subijci debent. Quæritur
ergò.

Si uxor habeat servos qui
semper fuerunt absentes in provin-
cia longè remota; An eas uxor ma-
numittere possit? Ratio dubitandi
quod possit, hæc erat, quoniam ser-
vi isti cum abfuerint, conscij esse cri-
minis herilis nequeunt, & sic malè

tor-

torquerentur. Cessante igitur ratione L. videbatur dicendum cessare L. ipsam. Hac ambigui ratione non attentâ, respondit Ictus contrarium, proculdubio motus, quod prohibitio ultra 60. dies non prolongetur, & quod servi, licet absentes fuerint à conservis tamē suis aliquid audire & resciscere potuerūt; idq; potius, quod servi quod ad jus civilis attinet, pro nullis habentur. His igitur omnibus simul consideratis; dicit Ulpianus adulteram eos servos manumittere non posse; & subiicit. Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. Si dicere-mus de legibus cum fiunt disputandum esse, sed cum factæ sunt, secundum eas iudicandum, iniquitatē sic non excusaremus, Si diceremus duriciem illius L. mitigatā, & correctā in Codice ab Imp. Gratiano, Valentiniano, Theodosio & Arca, in l. 32. C. ad l. Jul. de adult, re periri, dicere-mus quidem quod res est! sed nodus insolutus maneret. Nihil enim hoc
ad

ad istæc verba. quod quidem. Ita-
que sic habendum duram illã legem
non tamen irrationabilem aut ini-
quam esse. Alioqui non lex, sed ty-
rannus, non viva justiciæ imago, sed
ejus corruptio turpissima foret.
Quod enim quædam in legibus no-
stris civilibus, durius vel responsa
vel constituta videntur, nihil efficit
quo minus istic sit æquitas. Nam si
cuti non oportuit severitatis ita nec
Clementiæ gloriam aucupari, sed
perpenso judicio prout quæq; res
postulabat, statuere. Quid enim si
nimium multis personis grassantib.
exemplo sit opus? Non unius poena
multorum metus esse debet? Non
igitur si alicubi durius quiddam sta-
tutum esse videatur, id statim legem
iniquam appellare oportet. Sic ait
Cland. Cautiuncula.

Obmutescant igitur juris Justinianæi repre-
hensesores! conticescant qui nostri juris æquitatẽ
denegant universi; herbam Justiniano porri-
gant Antagonistæ; Victi laudes ipsius tanquam
obnoxij scribãt & carmine celebrẽt jus Justinia-
neum unã cum nobis in posterum defendant. En
qui salvi supersunt è pralio clypei ipsorũ sunt.
Tu

Cic. de legib.
l. ca. 1. §.
2. D. ad l.
Agl.
Antha. res
C. communia de legatis.

Tu Vives ancile geras in læva, Ciceronis illud, salus populi suprema lex esto. Bodinus parmula habeat id Iuliani. Multa jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta sunt. Umbo sit Giphani, quod Iustinianus alibi relinquit. Nos ea quæ communiter omnibus profunt, ijs quæ specialiter quibusdam utilia sunt præponimus. His veruti galeentur, & ad sequentem pugnam parentur! parati adversus alios Iustinianeus Juris hostes his scuitis defendantur, vincant. Vehatur Iustinianus curru aurato sublimis atque ornatus humano augustior! quatuor insignibus equis, cæteris altior & magnificentior. Io triumphe. Vehatur præcedentibus lictoribus, coronatus in purpura, cum insignijs imperij & Magistratus, Io triumphe. Ut cõspectior videatur, minimè illiatus Io triumphe. Nos interim vitulemur, delubra pateant, aræ sacrificijs fument, vinũ & thus publicè detur. Io triumphe. Nos bonis precationibus & faustis ominibus conveniamus, canamus, dicamus, **VIVITE** vos Legum 1 2. tab. conscriptores, conquistores! Vivite perpetuò perpetui edicti compositores, explanatores! Vivite Imp. nomothetæ prudentissimi, invictissimi; Vivite quorum centones in jure nostro leguntur omnes! Perenna cum compilatoribus tuis Iustiniane perenni laude perenniter. Vive tu ô ingens Germaniæ decus Lothari Saxo & Irneri! Vivite DD. & Interpp. juris anteriores, posteriores, antiquiores, noviores. Vive vige mi Donelle satelles juris tutissime. Vivite, vigete, virete vos Præceptores mei & quos alibi reliqui & quos nunc hîc conspicio omnes. Vos commilitones plaudite; Ego applaudo!
CLAUDO.

Kc 629

ULB Halle


3


004 976 029



Sb.

AL





B.I.G.

Farbkarte #13



Valentini Guilielmi

Forsteri J. U. Doctoris

DISSERTATIO

APOLOGETICA
PRIMA

Pro

Jure Justiniano.

AEquitatem ipsius defendens

adversus

Vivem, Bodinum, & alios.



S. J. J. J.

VVITEBERGAE

Ex officina Cratoniana

Anno 1598.

